



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

I. De non alienando ecclesiae dominio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

guntinensi & Ioanne Giennensi , episcopis suffraganeis nostris,& Palentinensis,Oxomensis,Cordubensis & Conchensis episcoporum & cathedralium ecclesiarum prouinciae Toletanae procuratoribus in Concilio congregatis , has edidimus constitutiones , quas iubemus in Syndicis in nostra prouincia proxime celebrandis publicari & inuiolabiliter obseruari.

## C A P I T V L A.

### I.

Dispendia ecclesiarum , tamquam nostris molestis visceribus , inferunt nobis doloris acerbi punctiones : nec illa dissimulare possumus , cum ea conspicimus & sentimus . Proinde quia experientia docente vassallos ecclesiarum nouimus enormibus collidi iacturis , & ecclesias ipsas in suis iuribus defraudari , cum in ipsarum ecclesiarum locis per eos qui non sunt ecclesiæ vassalli , possessiones acquiri contingat , vestigiis prædecessorum nostrorum archiepiscoporum Toletanorum inhærentes , sacro approbante Concilio , statuimus ne quiuis , cuiuscumque status aut conditionis existat , possessiones in locis , in quibus ecclesia dominium obtinet temporale , consistentes , eis qui eiusdem ecclesiæ vassalli tunc non sint , vendere , aut quoquis alio titulo in eos transferre præsumat : alioquin tam vendentes , aut alias transferentes , quam ementes , & alias ipsas possessiones recipientes , excommunicationis sententiæ ipso facto volumus subiacere , & venditiones , & emptiones , & alienationes ipsas cassamus , & cassas & irritas nuntiamus , ac decernimus nullius prorsus existere firmitatis , & nihilo minus possessiones sic alienatae ipso facto loci domino applicentur . Per

ANNO CHRISTI  
1359. hanc tamen constitutionem non intendimus prohibere, quin personæ canonici & alii cathedralium & collegiatarum ecclesiarum, quarum dominium est temporale, beneficiati ac clerici in locis ipsis ecclesiæ commorantes, possint possessiones ipsas emere, & quoquis alio titulo acquirere, easque ecclesiis cathedralibus, collegiatis & parochialibus suæ dicēcesis, aut vassallis ecclesiæ tantum in vita vendere, & in morte donare, relinquere, seu legare. Absolutio excommunicationis huiusmodi cōstitutionis, post satisfactionem condignam huius constitutionis, cuilibet episcopo in sua dicēcesi sit commissa.

II.

Quia in constitutione recolendæ memoriæ domini fratris Guillelmi quondam episcopi Sabinensis in Castellæ & Legionensibus partibus apostolicæ sedis legati, quæ incipit, *Cum in personis*, continetur quod in personis ecclesiasticis ad sacros ordines & beneficia curam animarum habentia promouendis, idoneitas maior requiritur, & amplior desideratur peritia literarum; sitque ibi salubriter statutum, quod nullus clericus ad sacros ordines promoueat, nisi saltem literaliter sciat loqui: pari ratione sacro approbante Concilio statuimus, quod quam diu inueniatur, quod clericus qui literate sciat loqui, vel promotus ad sacerdotium, qui possit & velit in beneficio, cui cura imminet animarum, institui, episcopis dispensandi, ut is promoueat ad sacros ordines & ad beneficium cum cura, qui literaliter nescit loqui, & illud eidem conferendi facultas, præterquam circa beneficiatos in ecclesiis cathedrali-

Concil. Tom. 29.

Q. ii